

& hæreticorum errores impugnant: Ex his cognosci potest conformitas nostræ religionis cum antiquissima Ecclesia, & retundi Pontificiorum calumnia de novitate nostrorum desumpta. Alia Patrum scripta sunt exegetica, quibus libros Scripturæ S. explicant, ubi Ecclesiæ minister prius ex textu originali, ex antecedentibus & consequentibus, scopo, analogia fidei eruere debet sensum genuinum, postea addendæ sunt Patrum explicationes conformes, ex quibus perspicitur nostram explicationem non esse novam, sed jam tum in veteri Ecclesia receptam.

§. 5. In primis autem in lectione Patrum (1.) Scripta genuina discernenda sunt à spuriis seu supposititiis scriptis, ubi adhibendi sunt *Andreas Rivetus*, qui quatuor libros *Critici Sacri* scripsit. *Robertus Cucus Anglus*, qui *cynosuram* scripsit *librorum supposititorum*. (2.) Omnia examinanda sunt secundum Scripturam, quæ non convenient, rejicienda. (3.) Priusquam accedat Ecclesiæ minister ad lectionem Patrum, requiritur, ut probe instructus sit habitu Theologiæ sincerioris, ne, si errant quandoque Patres, ipse in errorem incidat. Vid. plura apud *Martin. Chemnit. in oratione de lectione Patrum*, quæ LL. Theologicis præfixa est.

## CAP. VII.

# De Ministro ecclesiæ I. nominatio- ne 2. vocatione. 3. Præsentatione, 4. ordinatione & 5. institutione seu investitura.

### §. 1.

**C**um Ecclesiæ Minister jam satis præparatus ad officium Ecclesiasticum admovendus est, præcedere debet (1.) nominatio ejus personæ, quam Patronus Ecclesiæ seu cœtui